

Zeitschrift: Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum
Band: - (1751)
Heft: 21

Artikel: Commentatio epistolica de Samosatenianis neotericis : in I. articulo August. confess. memoratis ac damnatis
Autor: Kislingius, J. Rudolphus
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-394691>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

Download PDF: 15.10.2024

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

Commentatio Epistolica
de
SAMOSATENIANIS NEOTERICIS
in I. Articulo *AUGUST. CONFESS.*
memoratis ac damnatis.

VIRO

Plurimum Reverendo ac Doctissimo

JO. JACOBO BREITINGERO

S. P. D.

JO. RUDOLPHUS KISLINGIUS,

D. & P. P. Lipsiens.

MUltum voluptatis nec non utilitatis ex
Tuo, Vir Excellentissime! quod per
aliquot annos Tecum alui litterarum
commercio ad me promanavit, præfer-
tim, quum illud ita hætenus inter nos fuerit tra-
ctatum, ut de rebus potissimum litterariis mutua
instituerentur colloquia. Proposita nuper admo-
dum a Te erat mihi quæstio; quid de Hæreticis,
eisdemque *Samosatenis Neotericis* in Articulo primo
Augustanæ Confessionis damnatis atque proscriptis

sentiam? Quinam illi sint, qui acu quidem tanguntur, sed non disertis verbis producantur in scenam? Rem itaque serium sub examen vocavi, & Tibi proxime exposui, quid de his hominum quisquiliis stigmatate notatis statuam. Reddidisti quoque me certiozem, Te in mea acquiescere sententia, eandemque albo adprobare calculo. Hocce Tuo suffragio meæ opinioni satis amico instructus calamum abjicere possem, sed reliqua adhuc sunt quædam momenta hos homunciones tangentia, quæ studio, ac meditatione ulteriore indigent, dignaque sunt, quæ Tua opera, & cura producantur in lucem.

Operæ profecto est pretium, totum hoc, quale demumcunque æstimetur, argumentum hauci haud pendendum, denuo sub limam vocare, illudque ita diluere, ut nomen horum tenebrionum protrahatur e latebris, auctoritas porro laudati Articuli, ne ancipites versipellesque habeantur nostri Confessores, vindicetur curatius, & tandem aliquid commodi ad nostræ, quam pressis manibus tenemus, Confessionis Augustanæ historiam conferatur. Mittam igitur Tua, Vir Doctissime! pace, hoc eridos pomum denuo sub incudem, ac meam libera fronte pronuntiabo sententiam.

Inter illos, qui in Articulo primo Aug. Confessionis de Deo, damnantur, atque a Societate Lutheranorum longius segregantur, Hæreticos, locum occupant ultimum *Samosateni* tam *veteres*, quam *recentiores*. En verba hujus Articuli: „*Damnantur & SAMOSATENOS, veteres & NEOTE-
RICOS, qui cum tantum unam personam esse con-
tendunt*“

„ tendant , de verbo , & Spiritu Sancto astute , &
 „ impie rhetoricantur , quod non sint personæ distinctæ ,
 „ sed quod Verbum significet verbum orale , & Spi-
 „ ritus motum in rebus creatum. „ Samosateno-
 rum veterum errores , de quibus jam nulla est
 disputatio , revocarunt recentiores nonnulli Hære-
 tici , quorum nomen non indicant Confessores ,
 sed silentii peplo illud involvunt. Nostræ itaque
 concertationis cardo in eo potissimum vertitur mo-
 mento , quinam homunciones , & maleferiati San-
 ctæ Trinitatis hostes hac virgula notentur censo-
 ria. Hoc est rei caput & apex.

Plerique omnes , quos adii August. Confessio-
 nis commentatores , *Balth. Mentzerus* , (*) *Wolfg.*
Franzius , (**) *Godofr. Hoffmannus* , (***) *Speci-*
us , (****) alii complures , propendent ad Neo-
 photinianos , qui appellantur *Servetiani* , nec non
Sociniani. Quos excitavi homines *Mich. Serveto* ,
 atque *Socino* addictos , esse ejuratos Trinitatis hostes ,
 nec non Deitati Filii Dei , ac Spiritus Sancti tur-
 piter infensos , in vado est. Optimo certe jure di-
 cam his Antitrinitariis in hoc Articulo , nec non
 in *Apologia* (*****) *Aug. Conf.* & in *Formula Con-*
cordiæ (*****) nostri Confessores scripserunt , ut
 labem nobis temere aspersam fortiter abluerent.
 Graves omnino causas habuerunt *Aug. Conf.* con-

F 5

ditores

(*) Exeges. *Aug. Conf.* ad h. Art. p. 50.

(**) *Disput. I.* in *Aug. Conf.* ad h. Art. §. VII.

(***) *Commentar.* in *A. C.* ad h. Art. p. 24.

(****) *Aug. C. Aphor. illustrat.* ad h. A. p. 7.

(*****) *Apolog.* p. 50.

(*****) *Art. XII.* pag. 824.

ditores suam, quam Augustissimo Imperatori Carolo V. & Patribus Imperii Romani purpuratis tradebant Confessionem, Articulo, de Deo, eo-que Triuno auspiciari. Demonstrandum ipsis primo erat, se in hoc Articulo maxime fundamentali recte sentire. Declarandum erat porro, se a Symbolis primitivæ Ecclesiæ Oecumenicis, totiusque Ecclesiæ sanctioris suffragio receptis, ne latum quidem recedere unguem, sed antiquam Apostolorum obtinere fidem. Tempestive tandem refutandæ, retundendæque erant calumniæ ipsis turpiter impactæ, quod falsas de Deo, ac Sanctæ Trinitatis secreto alerent opiniones. Etenim adeo infamata erat religio a Luthero suo nitore restituta, ut plerique peregrini, Hispani imprimis, Galli ac Itali crederent, illam ex omnibus hæresibus esse compilatam, ac deforme aliquod fidei Chaos, quin & Medusæ referre caput. Quæ quum ita sint, satis bene suæ innocentiae consuluerunt laudatissimi Confessores, hanc Hæreticorum sentinam e suis eliminantes castris. Laudem tamen, meo iudicio, meretur tempestivum, quo usi sunt beati Confessores, silentium, quo sibi ab excitandis, & in medium producendis his Samosatensis recentioribus circumspicte temperarunt. Latebat enim illo, quo exhibita est Aug. Confessio, tempore anguis adhuc sub herba, nec tum in proximas quasque Imperii Germanici regiones desilierat. Neque *Ludovici HETZERI*, neque *Joannis CAMPANI* errores ac libri omnibus erant noti, sed tantum privatos jam inter parietes examinabantur. Eadem erat *Michaëlis SERVE-TI* ratio, cujus libri lucem nondum aspexerunt. Utinam vero eandem nunquam aspexissent! Sati-

us igitur videbatur hos Hæreticos recentiores paululum ignotos præterire, & modestiam in nominibus ipsorum excitandis adhibere, quam novos excitare motus, qui prudentia atque vigilantia adhuc sedari poterant ac supprimi. Id ipsum ex Epistolis *Oecolampadii* (*) & *Zwinglii* haud obscure apparet, hos viros sedulo laborasse, ne *Serveti* errores in Saxoniam emanarent, & ipsis malæ causæ apud Lutheranos attraherent suspicionem. At redeo ad rem.

Quamvis autem lubens interpretibus Aug. Confessionis supra allatis subscriberem, hos Samosatēnos Neotericos esse Neophotianos, Servetianos, ac Socinianos, multa tamen adsunt, quæ me ab hac sententia retinent, impedimenta. Firmiora atque certiora sunt, quæ huic persuasioni opposuerunt b. *Ern. Sal. CYPRIANUS*, & venerabilis Cancellarius *Joan. Laurent A MOSHEM*, seu firmavis Hentic. Ab. *Allwærdenus*, argumenta, quam ut a secus sentientibus infirmari possint ac destrui. Dispiciamus has rationes suo robore nixas. Quem modo appellavi, *CYPRIANUS* (**) felicissimus historiæ Aug. Confessionis indagator ex antiquissimis, quæ in copiosissima ac ornatissima Bibliotheca Gothana adservantur, documentis circa Hæreticos in Articulo I. castigatos cum sale ac veritate observavit, neque Servetianos, neque Socinianos hoc, quo delineata, atque tradita est Confessio, temporis tractu innotuisse, intelli-

(*) Epist. Oecolampadii & Zwinglii Lib. IV. p. 801.

(**) Historia Aug. Conf. Cap. XVII. p. 295.

telligendos itaque esse alios, qui sub persona Samosatensorum Neotericorum delituerint. Digito designat indice *Ludovicum HETZERUM*; atque *Joannem CAMPANUM*, par nobile Virorum si Diis placet. Narrat *Ludov. Hetzerum* Helveticum fuisse de grege Anabaptistarum hominem, seu si magis arridet, qui ob Polygamiam Constantiæ ad An. MDXXIX. capite esset plexus. De *Jo. vero Campano* commemorat, illum fuisse Juliacensem, qui Wittebergæ studiis dedit operam, & imprimis *Georgii Vuicelii* hospitio ac familiaritate est usus. Hosce homines novarum hæresium religioni puriori nocivarum conditores fuisse illos Samosatenos Neotericos atro in excitato Articulo A. Conf. notatos carbone, documentis certissimis fultus extra omnem dubitationis aleam positum esse arbitratur. Certum est illo tempore Serveti ac Socinorum monstra nondum prodiisse in lucem.

Eisdem fere rationibus haud ficulneis utitur *Henricus Ab. Allwærdenus*, (*) qui Præside venerab. *Moshemio* elegantem de Serveto emisit commentationem. Hi præstantissimi Historiæ Servetianæ conditores, prout in re historica sunt acutissimi, ita hujus rei argumenta utraque expendunt lance, & sententiam suam huncce in modum pronuntiant: „*Ast nihilo tamen minus, duabus ego rationibus, cur his non assentiar, impediatur. Namque I.) dogmata hæc, quæ in hoc Articulo rejiciuntur, cum Serveti scitis minime conveniunt. Verbum enim esse vocale, & Spiritum Sanctum esse*
 „ *motum*

(*) Historia Michaëlis Serveti §. X. p. 27.

„ motum in rebus creatis, duo sunt dogmata, quae
 „ tanquam falsa damnantur, nihil vero horum Servetum
 „ unquam statuit. II. Dum hæc Anno MDXXX.
 „ conficeretur Confessio, placita Serveti nondum in
 „ Germania sparsa erant. Sed Anno insecuto MDXXXI.
 „ libri ejus VII. de Trinitatis erroribus conscripti at-
 „ que editi sunt, & post horum editionem, doctrina
 „ ejus latius passim diffusa est. Suspicio autem in hoc
 „ primo Aug. Conf. Articulo Joannem CAMPANUM
 „ condemnari, quippe qui MDXXX. & MDXXXI.
 „ venena sua Wittebergæ sparsit. Quocirca qui ex ve-
 „ teribus Servetum in Aug. Conf. damnatum esse sta-
 „ tuunt, illi ita capiendi sunt, ac si dicerent, Serve-
 „ tum jam antequam exoriretur, anticipando veluti in
 „ hac Confessione rejectum atque confixum esse. „
 Rem satis bene dijudicasse hujus historiæ auctores
 is demum intelliget, qui male sanas Arianorum,
 Phothinianorum, Servetianorum, & Socinianorum
 doctrinas utroque adspexit oculo. Quamvis enim
 hi omnes hæresium antesignani Trinitatis Arcano
 cornua demonstrarint minacia; diversa tamen pro-
 posuerunt rei capita. Alii quippe existentiam ab
 æterno, ac Divinitatem Filii Dei, ac Spiritus San-
 cti prorsus negarunt, ac divinas has personas in
 meras, imaginariasque Dei unius affectiones,
 virtutes ac effectus adeo mutarunt, ut una tan-
 tum divina persona diversis nominibus & actioni-
 bus conspicua inde emergeret. Alii contra exi-
 stentiam harum personarum quidem concesserunt,
 sed easdem ita extenuarunt, ut ipsis, præter no-
 men, omnem denegarent divinitatem. Possent
 sine magno labore discrimen hoc inter Hæretico-
 rum errores explicare, si id instituti sineret ratio.
 Neve falcem in alienam mittam messem, ma-
 dum

num retraho, quia nostra disputatio inprimis circa *Hetzeri & Campani* historiam est occupata.

Ne tamen sine Symbola discedam, arridet quaedam momenta circa *Ludov. Hetzeri* historiam proponere, eademque Tuo, Vir Præstantissime! exasciato ad uberiores rei notitiam tradere iudicio. Et *Hetzerum* quidem quod attinet, de ipsius Patria dubium mihi est enatum. Movit mihi hunc scrupulum disensus *Cyprianum* (*) inter & *Jo. Fr. Buddeum* (**) exortus, quorum prior *Hetzerum* appellat Helveticum, posterior autem Bavarum. Quantum vero ex *Jo. Henr. Ottio* (***) & *Henr. Bullingero* (****) intelligo, hic homo capite census in Helvetia suos omnino habuit natales. Mea enim ex sententia *Bullingerus* & *Ottius* id negotii sibi datum esse crediderunt, ut inprimis historiam Anabaptistarum in Helvetia olim degentium conscriberent, prout alii viri eruditi horum lurconum res in suis tractibus gestas delineandas susceperunt. Quin & ex suo, quod cum Anabaptistis in Helvetia, & *Zwinglio* habuit commercio, mihi adparere videtur, illum patriam habuisse Helvetiam.

Consideraturus nunc hujus hominis, nec non impostoris animi indolem, & vitæ genus, historia ipsa edocet, illum fuisse pessimæ notæ, sive intellectum, sive voluntatem ipsius spectes, virum.

(*) *Laud. Histor. A. C. Cap. XVII. p. 295.*

(**) *Lexic. Univers. Tom. II. p. 870.*

(***) *Annal. Anabaptistici S. Hist. Anabaptist. ad An. MDXXIX. §. 4. p. 50.*

(****) *Histor. Helvetic. Tom. III. p. 68.*

rum. Falsa enim, quæ vel excoxit, vel aliunde imbibit falsæ doctrinæ capita, luculenter testantur, ipsius intellectum pessima labe fuisse infectum. Nec voluntas ejusdem hominutionis maximis vacua fuit vitiis. Nec mens ipsi sana, nec cor vitæ integrum, scelerisque purum. Etenim teste *Ottio* (*) vagis, spurcisque amoribus se adeo addixit, ut tredecim haberet uxores, ob quæ adulteria, & vitam plane Bœoticam, funestam, sed satis justam deinceps sensit pœnam. Quem feralem vitæ ipsius turpiter actæ finem quoque commemorat illustris *Vit. Lud. Seckendorffius* (**) his quidem verbis: *Ludovicus Hetzerus, vir doctus, sed pessimis opinionibus deditus, Constantiæ excustus est.* Hôc solummodo in virtutibus *Hetzeri* ponendum est, illum teste laudato *Ottio* morti proximum, peioris vitæ declarasse pœnitentiam. Bene egit, si ipsum suorum errorum ac scelerum pœnituerit, si ex animo cum Deo in gratiam redierit, si denique clausulam turpissimæ vitæ fecerit bonam. Eamdem de vita & scriptis *Hetzeri* commentationem prodit *Jo. Hornbeccius*. (***) Profecto hujus hominis vita tantis facinoribus fuit commaculata, ut laudis præcone post mortem facile supersedere potuerit; invenit tamen sui nominis buccinatorem *Christoph. Sandium*, (****) qui ipsi non ultimum inter Martyres illius ævi assignat

(*) *Histor. cit. p. 50.*

(**) *Historia Lutheranismi Tom. II. Lib. II. Sect. 19. S. L. p. 145.*

(***) *Summa Controvers. Lib. V. p. 341.*

(****) *Bibliotheca Antitrinitar. p. 16.*

nat locum, quod quoque relatum leges in Martyrologio *Harlemensi*. (*)

Ex iis, quæ hic loci strictis calamis tradidi, planum est, *Hetzerum* procul dubio intra Helvetiam sublitisse, & venenum perniciosæ suæ doctrinæ ex ore . . . maledico didicisse, non autem Saxoniae Superioris adiisse tractus. Quae in opinione me non errare crediderim, quia hujus hominis, in historia motuum ab Anabaptistis in Saxonia Superiore excitatorum, nulla propemodum fit mentio. Concertationes autem, quas cum *Zwinglio* habuit, meo judicio, sunt testes, illum in Helvetia potissimum infelix diseminasse lolium, & a partibus Anabaptistarum, veluti *hyperaspisten*, stetisse.

Nec præterire debeo Scripta, quæ evulgavit hic spurcus homo, quorum summa, quantum ego novi, huc redit. Venit primo in censum ejus *præfamen in Baruchum emissum*. Secundo ille liber inficetus, & ad Caucasum rejiciendus, quo *Deitatem Christi impugnavit*, quam infausam operam teste *Ottio* (***) primus est aggressus. Hicce detestandus liber declarabit, utrum omni ex parte Serveto adhæserit auctor, nec ne? Explicabit ulterius, quam de Filio Dei & Spiritu Sancto foverit sententiam? Tertio tandem ad An. MDXXIII. emisit *librum contra imagines*. Illa ipsa scripta admodum rara esse arbitror, imprimis blasphemum, quem

(*) P. 28.

(**) L. 6.

quem contra Deitatem Christi eructavit, libellum, dignum a *Zwinglio* æstimatum, qui atra prematur nocte. Laudis encomio maclanda est ista *Zwinglii* vigilantia, qua hujus impostoris bipedum, quadripedumque nequissimi familiaritatem evitavit, atque ejus libellos veneno infectos omni cura suppressit. Etenim æque Lutherus ac *Zwinglius* harum seditionum, nescio qua malefana persuasione, apud exteros æstimabantur auctores, (*) cum tamen uterque his Furiis inferret signa. Libro nimirum *Lutheri*, de *Libertate Christiana* evulgato, hi lurcones, testibus *Seckendorffio* (**) ac *Frid. Spanhemio* (***) ad palliandos suos errores pessime sunt abusi. Non opus est, ut Luthero hanc labem denuo abstergam, quum ipsius vindiciæ in suis ipsius libris prostant. Immo *Jac. Benign. Bossuetus* (****) alias acutus & iniquus rerum Lutheranarum censor profitetur, Lutheranos Anabaptistarum tibias non inflasse, sed eosdem in Aug. Confessione sale perfricuisse Attico ac Romano. *Zwinglium* autem ab hac macula liberavit *Jo. Henr. Hottingerus*. (*****)

Tom. VI.

G

Licet

(*) Histoire des Anabaptistes. p. 3. Paris. MDCXV. conf. Godofr. Arnoldi Histor. Eccl. & Hæret. Part. II. Lib. XVI. Cap. XXI. p. 263.

(**) Historia Lutheranismi. Tom. I. Lib. I. Sect. XXVII. §. LXVIII. p. 99.

(***) Opp. Tom. III. de Controvers. cum Enthustast. & Anabaptist. p. 771.

(****) Histoire des Variations des Eglises. Tom. I. Liv. III. §. XXXVII. p. 116.

(*****) Histor. Ecclesiast. N. T. Tom. VIII. Cap. V. p. 315. seq.

Licet autem orbis litterarius infelicis hujus *Hæ-*
æri memoria facile careat, non tamen in cassum
 labores, Vir Amplissime! si ex Tuo copiosissi-
 mo rei litterariæ apparatus de hujus nefarii hominis
 patria, turbis, fatis, ac libris aliquid in lucem
 proferres. Oleum forte non perderes ac operam,
 si imprimis librum contra Deitatem Christi tange-
 res, atque luculenter exponeres, utrum ille,
 quod serio optandum est, liber a Zwinglio peni-
 tus fuerit extinctus, & hominum oculis ereptus,
 an vero in antiquissima supellectile libraria apud
 Turicenses adhuc sit superstes. Auget spem de
 libro illo adhuc superstite conceptam *Guilb. Bur-*
netus (*) qui commemorat apud Turicenses ad-
 huc conservari Zwinglii Bibliothecam antiquissi-
 mis MSC. & Epistolis ad Historiam Sæculi XVI.
 pertinentibus refertam. Utilis itaque esset opera,
 si quædam de hoc argumento cum orbe litterario
 communicares. Certe si hic infauustus liber cura
 Zwinglii e medio est sublatus, de civitate Christi-
 ana bene meritus est hic Vir, qui inter viros sui
 ævi emicuit veluti luna inter minora sidera. Quam
 provinciam *Tibi*, a me humanissime traditam,
 Te recepturum esse pro Tuo in res litterarias amo-
 re ac studio tanto magis confido, quia in illustri
 Museo Helvetico multa deprehendi antiquitatis
 monumenta ab *Henr. Bullingero*, aliisque viris sui,
 quo vixerunt, sæculi ornamentis, tineis atque te-
 nebris erepta, ac publicæ exposita luci.

Cala-

(*) Itinerar. Part. I. p. 135

Calamus nunc ad *Jo. CAMPANUM* esset transferendus, cujus viri crebrior est in *Lutheri & Melanctonis* libris mentio, quia seditiones a *Georg. Vuicelio* motas imprimis juvit, & multum molestiæ Theologis movit Wittenbergensibus, sed ne epistolæ limites transiliat meditatio, hoc argumentum procrastinandum esse censeo. Facit autem hic *Campanus* in hac disputatione utramque paginam, adeoque dignus a conditoribus Historiæ Servetianæ æstimatus (*) cujus vitam aliquis diligentius consignaret. Satis est, me paucis declarasse mentem de his Samosatensis in sæpe excitato Articulo Aug. Confessionis damnatis. Commodo, si Deo placuerit, occasione meam quoque de *Jo. Campano*, ejusque doctrina ac turbis in civitate Christiana excitatis explicabo sententiam. Vale, Vir Doctissime! Res Tuas age feliciter, & hunc libellum, si non magni ponderis, tamen jucundi ac utilis argumenti, æqui consule ac boni. Iterum vale! Dab. Lipsiæ die XXVII. Mart. MDCCLI.

(*) Laud. Histor. Serveti §. X. nota C. p. 29.

F. V. Non est omittendum summe Vener. atque Ampliff. Virum a MOSHEIM in Commentario quem inscripsit: *Uderweitiger Versuch einer vollständigen und unpartheyischen Reher-Geschichte*, Disquis. III. pag. 116. Quæstionem hanc de Neotericis Samosatensianis in I. Artic. A. C. damnatis ex professo retractasse, atque omnia multo diligentius sub examen revocasse, quam in priore illa Disertatione factum est. De JO. CAMPANO autem consulendus omnino Vir Clariff. J. G. SCHELHORNIUS in *Amenit. Hist. Litter*, Tom. XI. p. 1 - 32.